

mum, hospitale, sive collegium exire, aut ali-  
quod beneficium, servitium, aut cantariam ac-  
ceptare, nisi prius coram ordinario loci, in quo  
moratur, seu primitus abbate, priore, magistro,  
sive superiore ad hoc vocato, causam sive cau-  
sas in huiusmodi dispensationis suggestione ex-  
pressas, veras aut iustas esse et fuisse probaverit,  
et pro sic probatis per eundem ordinarium de-  
clarari et decerni obtinuerit. Qui contra fecerit,  
tanquam verus apostata per suum abbatem,  
priorem, magistrum, sive superiorem quem-  
cunque apprehendi, corrigi, et puniri licite po-  
terit, juxta canonicas sanctiones contra aposta-  
tas salubriter editas, atque juxta statuta et  
ordinationes ac consuetudines laudabiles loci  
illius, a quo sic illicite recefferit.

*De abusibus in capellis sancti Johannis et  
similium.*

Quoniam in diversis partibus hujus regni  
tam milites et alii, qui sunt de religione cruci-  
signatorum, hospitalis sancti Johannis Hiero-  
solymitani in capellis suis vocatis "Lawles  
churches and chappellys," quam illi in turri  
London. et alii complures, alibi in ecclesiis  
seu capellis admittunt alienos parochianos, ad  
clandestinorum et illicitorum conjugiorum so-

lemnizationem, etiam bannis non editis, et  
aliorum perceptionem sacramentorum, et sa-  
cramentalium, in ecclesiae scandalum et ani-  
marum multarum manifestissimum periculum;  
prohibemus itaque, ne quis deinceps in ecclesiis  
seu capellis antedictis vel aliis exemptis vel  
non exemptis, alterius parochiae parochianum,  
nisi in casibus a jure permisis, ad solemnizationem  
matrimonii, sive bannis editis sive non edi-  
tis, vel aliorum sacramentorum perceptionem  
sine licentia ordinarii admittat, seu eorum ali-  
quod administret, sub poena excommunicatio-  
nis, quam contravenientes atque eorum fauto-  
res, necnon omnes, qui matrimonium in ali-  
qua huiusmodi capella vel ecclesia, absque li-  
centia dioecesei, solemnizari procuraverint,  
seu eucharistiam in festo Paschatis vel circiter,  
absque licentia sui proprii curati, seu saltem  
dioecesei, suscipere praesumpserint, noverint  
se ipso facto incursum; a qua a nemine ab-  
solvendi possint, praeterquam ab episcopo, intra  
cujus dioecesim huiusmodi ecclesiae vel capel-  
lae sitaatae sunt, aliis tam ordinariis et curatis  
quam partibus etiam laicis prius satisfactis. Et  
praeterea ipsi sacerdotes huic ordinationi aliqua  
ex parte contravenientes, ad quodcunque bene-  
ficium ecclesiasticum per septennium prox.  
sequens ipso facto sint inhabiles.

Papae Rom.  
CLEMENT. VII. 7.

Archiep. Cant.  
GUILIEL. WARHAM 27.

Anno Christi  
1530.

Reg. Angliae  
HENRIC. VIII. 22.

*Convocatio episcoporum et cleri provinciae Cantuar. continuata a die 29. mensis  
Aprilis in ecclesia S. Pauli London. per varias prorogationes ad domum capi-  
tularem infra Westmonasterium. Ex reg. actor. et Heylinii excerptis.*

CONVOCATIO haec 29. die Aprilis in eccle-  
sia S. Pauli London. congregata, post no-  
vem sessionum prorogationes, et admonitiones  
ab archiepiscopo repetitas, ne quicquam in  
domo capitulari dictum vel recitatum reveletur,  
et postquam episcopi, abbates, etc. non com-  
parentes fuerint pronunciati contumaces, a  
commissario reverendissimi ad domum capitu-  
larem infra Westmonasterium proximo die 21.  
Januarii celebranda continuabatur. "Quo die  
abbas Westmonasterien. protestationem fecit,  
quod non esset in praedictum monasterium sui,  
quod illic convenirent; ad quam protestationem  
reverendissimus publice declaravit se nihil  
quicquam velle in praedictum monasterium  
monasterii." In excerptis "Heylinianis" pro-  
testatio et responsum hisce describitur verbis:  
"In domo capitulari Westm. comparuit per-  
sonaliter Johannes, abbas exempti monasterii  
S. Petri. Westm. et genibus flexis tunc et ibi-  
dem coram eodem reverendissimo in Christo  
patre, episcopis, et caeteris praelatis ibidem  
praesentibus allegavit, quod praedictum mo-  
nasterium est sic privilegiatum in primaeva  
fundatione ejusdem, ac etiam per literas Ro-  
mani pontificis sigillis plumbeis sigillatas, quod  
nullus archiepiscopus, episcopus, etc. exerceat  
aliquam jurisdictionem, sine licentia abbatis  
ejusdem monasterii pro tempore existentis, ob-  
tenta." Super quibus tunc et ibidem reveren-

dissimus in Christo pater cum consensu confratrum  
suorum fecit et legit protestationem in  
scriptis redactam tenore verborum sequen-  
tium:

In Dei nomine, Amen. Nos Willielmus,  
permissione div. Cant. archiepiscopus, totius  
Angliae primas, et apostolicae sedis legatus,  
pro nobis et confratribus nostris, ac omnibus  
aliis et singulis praelatis, et clero nostrae Cant.  
provinciae, in hac convocacione sive sacra  
synodo praesentibus, ac jus interesse in eadem  
habentibus, expresse in hiis scriptis protesta-  
mur, quod licet pro maturiori et feliciori ex-  
peditione negotiorum in hac praedicta convo-  
catione sive sacra synodo tractandorum et de-  
terminandorum, hanc domum capitularem pro  
nobis et confratribus nostris et aliis praelatis  
antedictis, ac pro demo inferiori—infra prae-  
cinctum hujus monasterii S. Petri Westm.  
tanquam loca ad effectum praedictum magis  
commodifera, de et cum consensu et voluntate  
dilecti nobis in Christo abbatis monasterii prae-  
dicti elegimus et deputavimus, atque ea de  
causa hanc praefatam convocacionem sive sa-  
cram synodum ab ecclesia S. Pauli civitatis  
London. ad praefatum monasterium et loca  
praedicta de praedicti dilecti nobis in Christo  
abbatis consensu et voluntate similibus prorogari  
fecimus; per aliqua tamen infra hoc mo-  
nasterium communicanda, tractanda, deciden-  
da,

da, seu determinanda, aut actum alium quemcunque per nos archiepiscopum Cant. suffraganeos nostros, atque alios praelatos, et clerum provinciae nostrae antedictae communiter seu divisim agitand. juribus, privilegiis, libertatibus, immunitatibus seu exemptionibus praefato abbati, et conventui, aut eorum monasterio ab antiquo qualitercunque indultis seu concessis, ac temporibus retroactis usitatis, non intendimus in aliquo derogare, sed ea omnia et singula, non obstantibus quibuscunque in praesenti convocazione sive sacra synodo, per nos infra praedictum monasterium modo quo praemittitur agendis, firma, integra et illibata permaneat et permanere debeant. Qua protestatione (ut praemittitur) lecta, dictus abbas tunc et ibidem consentiit, etc." Sequenti vicesimo quarto die mensis Januarii subsidium centum millium quadraginta quatuor librarum octo solidorum et octo denariorum domino regi ab utraque domo concessum est. Ab hoc tamen subsidio solvendo fratres Mendicantes, procurator prioris S. Johannis de Jerusalem, et alii religiosi se immunes esse in synodo protestati sunt, quorum rationes archiepiscopus episcopis Elien. et Bathon. ac cancellario suo examinandas commisit.

In sessione xxxii. (Febr. 7.) reverendissimus, habita secreta communicatione cum quibusdam consiliariis et justitiariis domini regis, tractatum instituit cum prolocutore, decanis, etc. et clero super materia articulorum additorum in prooemio libri concessionis subsidii, qui hujus erant tenoris:

1. Ecclesiae et cleri Anglicani, cujus protector et supremum caput is solus est.
2. Quem metum atque periculum rex noster invictissimus a nobis depulit, et curavit ut in quiete et secura pace Deo ministrare, et curae animarum ejus majestati commissae et populo sibi commissio debite inservire possimus.
3. Privilegia et libertates ejusdem, quae regali suae potestati et legibus regni sui non detrahunt, confirmando defendit.
4. Generalem veniam et perdonationem de omnibus eorum transgressionibus poenaliu legum et statutorum hujus regni tam caeterorum in tam ampla forma concedere dignetur, quam in isto parlamento suis omnibus subditis (statutis de "Praemunire" nobis adactis) concessa fuit.
5. Ita quod omnes laici sint inde onerati.

Ultimus articulus post consultationem cum episcopis et domo inferiore habitam facile concessus fuit in sessione xxxiii. (Febr. 8.) in qua justitarii regis exhibuerunt copiam articulorum exceptionum generalis perdonationis domini regis; de qua in articulo quarto agitur; super quo justitarii regis affirmabant se non habere commissionem concludendi, priusquam conclusum fuisset per episcopos et clerum super dicto primo articulo. Ille de suprematu regis conceptus haud bene placuit praelatis et clero, inde eum modificari voluerunt. Per tres itaque sessiones cum consiliariis regis ratio inita fuit, quomodo regis animum flectere possent ad mollioribus verbis exprimendum articulum illum. Rex autem per vicecomitem Ro-

chefordiae cum hoc modo conceptum remisit: "Cujus protector et supremum caput post Deum is solus est," ac ulterius colloquium cum praelatis et clero super eo negotio habere recusavit. Tandem 11. die Februarii archiepiscopus articulum de suprematu regis in synodo proposuit his verbis: "Ecclesiae et cleri Anglicani, cujus singularem protectorem unicum et supremum dominum, et, quantum per Christi legem licet, etiam supremum caput, ipsius majestatem recognoscimus." Cui reverendissimus consensum fratrum suorum requisivit dicens, "Qui tacet consentire videtur:" ad quod dictum quidam respondebat, "Itaque tacemus omnes." Unanimi igitur consensu utraque domus articulo huic subscripsit.

Per multas sequentes sessiones de forma subsidii solvendi tractabatur; de reformandis abusionibus, et de edendis constitutionibus super articulis sequentibus:

1. De clericis promovendis ad sacros ordines et ad beneficia curata admittendis.
2. De sacerdotibus convictis.
3. De clericis admittendis per procuratorem.
4. De vita et moribus clericorum ordinandorum.
5. De vestibus et indumentis clericorum.
6. De haereticis.

Quae constitutiones saepius in synodo lectae, mutataeque, ulteriori examini subjiciebantur.

In quadragesima quinta sessione (Febr. 25.) prolocutor errores in testamento mag. Will. Tracy latentes exposuit coram synodo, illudque condemnari petiit, ut exinde scandali nihil aut ignominiae vel ecclesiae vel populo generetur. Idem 18. die Martii tractatum fuit. Reverendissimus in sequenti lxxvi. sessione (Martii 23.) "pronunciavit sententiam finalem reprobatoriam testamenti W. Tracy per mag. Joh. Lethe, LL. D. coram Richardo Tracy, filio naturali dicti Will. Tracy, et coram episcopis et aliis praelatis. Qui quidem Richardus interrogatus an unquam scripserit, aut scribi fecerit aliquam copiam dicti testamenti, respondit "se nullam copiam dedisse, nisi cuidam N. (W. Willington) sed scriptam manu patris sui." Quod decretum ad universitates Oxon. et Cantabrig. missum est, ut examinaretur cum testamento praedicto, ac responsum earum per literas suo sigillo sigillatas certificaretur.

Tandem promulgata est sententia contra testamentum, tanquam fastuosum, scandalosum, sibi repugnans, impiumque et haereticum, ac haeresim in se continens, et ut tale damnari debere. Ut citentur ex familia Tracy oriundi executoresque ejus ad 16. diem Octobris seq. in debita forma juris allegaturi, quare dictus Willielmus Tracy tanquam haereticus, ac pro haeretico pronunciari, ejusque corpus exhumari, et a christianorum sepultura rejici et repelli non debeat.

Tertio die mensis Martii articuli nonnulli pro examinatione mag. Crome, Latymer, et Bilnye proponebantur, qui 18. sequente hujus mensis die repetiti sunt. Sed ulterior deliberatio eorum in aliud tempus dilata est. Octavo die